

Commissio ratione finium et Terminorum ad Mare Adriaticum reassumatur et Executioni demandetur.

A r t i c u l u s 32.

De Metis quoque et gravaminibus ac Territoriis circa Mare Adriaticum, et praesertim de Arcibus Starigrad et Jablanacz familiae Frangepanicae resignandis et Segniensi Civitate (sublatis et abolitis ab extera Cancellaria extractis et impositis ejusdem Statutis) in suam priorem libertatem vendicanda; ac Tricesima ejusdem hactenus per Capitaneos loci in privatos usus conversa, imposterum ad publicam Civitatis illius reaedificationem, medio Civium, sub stricta rationis dandae obligatione (more antiquitus observato) deputanda et resignanda; ac tandem de Arce Terzath Regno et Sacrae Coronae incorporanda et Familiae Frangepaniae restituenda; Art. 42. Anni 1638. et Articulus 50. Anni 1647. renovantur:

§. 1. Et Commissio superinde antea ordinata reassumenda et Executioni demandanda decernitur: ad quam ex parte Regni et Sacrae Coronae; Reverendissimus Dominus Petrus Mariani, Episcopus Sirmiensis: et Magnificus Dominus Petrus Keglevith: Nec non Generosus Casparus Orehozy, Vice-Banus illius Regni, per Status et Ordines pro Commissariis deputantur. *)

Regnum Croatiae et Sclavoniae in suis libertatibus conservetur.

A r t i c u l u s 33.

Illud etiam communi Statuum et Ordinum voto et suae Sacratissimae Majestatis consensu sancitum est; ut memoratum Regnum Croatiae et Sclavoniae, juxta Art. 27. Anni 1600. et Art. 13. Decreti Secundi Matthiae primi Regis, Anni 1464. in universis suis Libertatibus, Immunitatibus, Privilegiis, Juribus, Legibus et Consuetudinibus approbatis conservetur. **)

Articuli de aedificatione Praesidii Berkisevinae renovantur.

A r t i c u l u s 34.

Articuli de summa ad aedificationem Praesidii Berkisevinae ordinata renovantur. Quos etiam sua Majestas Sacratissima finaliter ac benigne effectuare dignabitur. ***)

Capitanei Germani et Indigenae quaestum exercentes Tricesimam solvant.

A r t i c u l u s 35.

Et quia nonnulli Germani et Indigenae etiam Capitanei in illis Regnis et Confiniis quaestum exercerent et Tricesimam a quaestu administrare nollent:

*) Renovatur; An. 1655. a. 71. Urgetur; An. 1681. a. 77.

**) Confirmatur; An. 1687. a. 22.

***) Urgetur; An. 1659. a. 102.